



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XXIII. Quia est Solamen agonizantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

nem, & beatificationem recipiunt à JESU, per quem omnia restaurantur in coelo, & in terra: ergo Maria quæ est Mater JESU, causa est aliquomodo gloriæ Angelorum, ut aperte dicatur Mater eorum.

23. Quia est Solamen agonizantium.

Non frustra Christus sine Matre mori noluit, hæc illi adfistere morienti debuit, ut nobis exemplar esset. Non frustra Ecclesia latina orat: *Tu nos ab hoste protege, & mortu horâ suscipe. Iter para tutum.* Illa enim est *Virgo*, quâ Moyses mare rubrum percuciens, iter populo per mare illud ex Ægypto in terram promissionis paranti aperuit. Ejus gratiam orat *Ephrem in lament. B. Virginis.* O Virgo esto ergo nostra Conciliatrix & Advocata in hora mortis atque judicij, nosque à futuro inextinguibili igne, & tenebris exterioribus libera, & Filij tui gloria nos dignare ô Virgo & Mater dulcissima & clementissima! *Adfuit Carolo Filio S. Brigitiæ, ut lib. 7. Revelat. ipsa suam patefacit operam.* Ego steti propè eundem filium tuum Carolum, paulò antequàm emisit spiritum, ut carnalem amorem non sic memoriâ haberet, quòd propter eum aliquid Deo contrarium cogitaret, vel loqueretur, nec aliqua Deo placencia vellet ommittere, neque illa quæ possent esse quomodo libet Divinæ voluntati contraria vellet perficere ad animæ suæ nocumentum: ego etiam taliter juvi eum in illo arcto spatio, id est exitu animæ suæ à corpore, ut non tam duram pœnam sustineret in morte, quòd ex ea inconstans fieri posset aliquantisper desperando, & nè Deum in morte oblivisceretur: Ego etiam custodivi animam ab ipsis immortalibus inimicis, id est dæmonibus, quòd nullus eorum tangere posset, sed statim cum egressa fuit à corpore, accepi eam in meam custodiam ac defensionem, quo facto turba dæmonum festinanter fugit, & recessit, quæ ex sua malitia cupiebat eam deglutire, & æternaliter cruciare. Sic in ecclesiâ Zodiaci Virgo inter Libram posita & Leonem, ut nimirum cum in hora mortis Leonem de tribu Juda libram respicientem justitiæ habuerimus, Virginem ut Advocatam, ut Mediaticem inveniamus. Et facit hoc munus. *Sur. 15. Aug. de S. Adulpho Episcopo Suevoniæ.* Beata Virgo hunc clientem suâ præsentia in morte exhibuit, ejus animam ad superos abituram prædicens: similiter affuit Adulpho Francicano ex Alsatia Principe, & solata his: Quid times fili, aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus quoniam Filius meus cui fideliter servivisti, dabit tibi coronam gloriæ. Non dispari solatio & Radbodum Episc. Trajectensem ut *Sur. 29. Novemb.* replevit. Nè timeas Radbode, certus eam te intueri, cui supplices offers preces, non ego te meâ dedignor consolari præsentia, qui in

tuis ad Deum precibus mei semper usurpas memoriam. *Orat. Bonav. id ipsum in psal. Virg.* In exitu animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina, & suscipe eam, consolare eam vultu sancto tuo, aspectus dæmonis non conturbet eam, esto illi scala ad Regnum colorum, & iter rectum ad paradysum Dei, sustine devotos ante tribunal Christi, suscipe causam eorum in manibus tuis. *Richard. à S. L. lib. 2. p. 1.* Protegit Maria, quis enim apud Filium accusare audeat illum, cui Matrem viderit patrocinantem? & si Maria pro nobis, quis contra nos? & si ipsa est quæ justificat, quis est qui condemnet. Sic *B. Paulo Converso Cisterciensium* affuit, ille præ gaudio risit, & causam risus dedit. Cur non riderem, cur non exultarem? Ecce Domina nostra præsens est, & jam animam meam suscipiet. *Mens. leg. Cister. 6. Idus Febr. S. Augustinus* asserit à Diva submitti S. Michaëlem ad illam ultimam horam. Verba ejus apud *S. Bonav. spec. B. Virg. lect. 3.* Michaël Dux, & Princeps militiæ coelestis cū omnibus spiritibus administratorijs tuis Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium specialiter tibi Domina nocte & die se commendantium. *S. zeno serm. 5. ad Neophyt:* Leo noster sicut *Genesis* protestatur, Leonis est catulus, qui ad nos recubans obdormivit, ut vinceret mortem: ad hoc evigilavit, ut tubæ resurrectionis suæ in nos munus immortalitatis conferret, quam competenter sequitur Virgo præ-nuncians Libram, ut nasceremur per Filium, qui incarnatus ex Virgine processit, æquitatem justitiamque terris illaram. Mons est Virgo, ad hunc Moyses jam moriturus remittitur: Cælum est, Terra promissionis, Arca est, teste *Bonav. in spec. B. Virg.* Virgo quam jubetur populus *Josue 3.* respicere, ut terram promissionis ingrediatur. *Judic. 12.* Galaaditæ occupârunt vada Jordaniis, & omnem non valentem exprimere Sciboleth quod significat spicam occidebant. Ita planè in transitu, nisi exprimas Spicam, quæ nobis attulit granum frumenti Christum, peribis. David noluit mori, nisi Abisag Virginem domi habuisset, & tu homo habes Abisag, Virginem pulchram, verum foventem David. Claudamus id totum voto *S. Germani Constantinop. orat. de Annunciat.* Nomen Dei Matris ore & corde & animâ totâ complector. Quod utinam in ore habere tunc possim, cū mors ad ultimum reddendum spiritum me compellet, mihi enim omninò persuado futurum, ut crudeles aëris exactores hominumq; hostes, illud timeant, & meum exitum à tributo immunem esse patiantur. Idem Matris Dei nomen sit mihi ultimus linguæ loquentis motus, ut veluti olivæ ramum in ore ferens, avolem, & requiescam, quemadmodum columba in salutari arca paradisi.